

IN CENSURAM CAPITIS XV.

De specialibus Vocationibus, deq; præceptis ac traditionibus humanis.

Censura Capituli huius crambe est non bis sed sæpius recocta. Quilibet Cenfor eam reponit. Quot Censores, tot iteratæ Censuræ, sine caussa sæpe ulla aut occasione: Id hic liquet. Dixerant Remonstrantes transeuntes ad novi Capituli tractationem: *Et hæc quidem summa est illorum mandatorum, quæ à Jesu Christo communiter nobis præcepta seu Christianis omnibus ex aquo ad æternam salutem consequendam necessaria sunt.* Ex his verbis novus hic Cenfor, quasi ignarus quid censitum fuerit præcedente Capite, aut quod Censura huius rei ad præcedens caput pertineat, cum tamen id ex transiitione ipsa non obscure pateat, prolixam censuram & quidem eandem, quæ ante sæpius facta fuerat, venatus aut accupatus est. *Ambiguè & periculose in eo loquuntur Remonstrantes, inquit, quia omnino videntur cum Socinianis statuere, principalem adventus Christi finem fuisse, ut nobis hæc præcepta, Legalibus etiam perfectiora, proponeret, ut per eorum observationem æternam salutem consequeremur, atq; ita Christum in novum Mosem seu Legis-latorem transformant:* Obsecro te, Lector, quis ex innoxiiis, simplicibusq; istis Remonstrantium verbis, etiamsi ea in mortario contundat compiletq;, elicuerit quippiam horum, nedum ista omnia, quæ hic Cenfor elicuit? ne jota quidem est in istis Remonstrantium verbis de fine adventus Christi, nedum de principali fine: Non enim dicunt Remonstrantes, finem adventus Christi fuisse, ut ista mandata nobis ferret, nosq; per eorundem observationem salvatum iri doceret, sed tantum, Christum, qui venit in mundum, mandata illa nobis dedisse, eaq; ad obtinendum æternam salutem observatu necessaria esse. Nemo Christianus id, uti arbitror, negaverit, aut meritò fugillaverit: Deinde, in his verbis nulla fit comparatio inter præcepta Legis & Evangelij, an hæc illis sint perfectiora: ne *zè* quidem ejus in verbis istis est: Deniq;, non dicitur à Remonstrantibus, nos per *plenam, rigidam & præcisam*, ut Cenfor loquitur, *præceptorum Legis observationem salutem consequi*: Ne syllaba quidem horum Epithetorum in verbis est. Quod si verò Cenfor hæc omnia ex istis Remonstrantium verbis rectè colligi putet,

Ostenditur
Censoris præ-
varicatio in
detorquendis
Remonstran-
tium verbis,
non uno
modo.